



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1603**

Martyrivm Sancti Dionysii Arepagitæ; qui à S. Paulo Apostolo  
Atheniensium Archiepiscopus ordinatus est: Apostolica verò auctoritate  
B. Clementis Papæ, totius Galliæ constitutus Apostolus: Ex ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42787**

**MARTYRIVM SANCTI DIONYSII** *Vide C. Ba-*  
*Areopagita; qui à S. Paulo Apostolo Athenien-*  
*sum Archiepiscopus ordinatus est: Apostolica*  
*verò auctoritate B. Clementis Papæ, totius Gal-*  
*lia constitutus Apostolus: Ex commentario Hil-*  
*duini Abbatis: quod iussu Ludouici Pij Augusti,*  
*ex veteribus Græcorum monumentis cõtexuit.*  
*Passus est autem sanctissimus martyr & doctor*  
*Ecclesiæ diuinus, postremò tempore Traiani*  
*vel sub Hadriano Imp. circa annum Domi-*  
*nii 120. anno atatis sua plus minus decimo su-*  
*prà 100.*

**A**THENAE ciuitas, qua nihil habuit  
 Græcia situ terrarum clarius, artium  
 maximarum inuentrix; eloquentiæ nu-  
 trix; philosophorum & sapientium generix;  
 in qua Apollo, Hypocrates, & Aristoteles,  
 cæteri que inuentores & totius peritiæ propa-  
 gatores exorti sunt: temporibus Cecropis, qui  
 eam condidisse fertur, & Menandri, Regum  
 que succedentium, simulacrorum cultui ad  
 infaniam vsque dedita erat. In ea, tempore il-  
 lo, quo Paulus Apostolus face Euangelicæ lu-  
 cis ad eam illustrandam accesserat vir quidam  
 nobilis degebat; qui Symmystes, id est conse-  
 crétalis Apollo Kronospagita (quoniam in ea-  
 dâ vrbe cæteros præcellerat) nominabatur; no-  
 bilissimi cuiusdâ Apollinis Atheniensis prin-  
 cipis profapia genit<sup>o</sup>: cuius pater Nicolaus, vir  
 magni ingenij, literarû studio pollens, ciuis &  
 Argolicæ artis Magister fuit. Huius igitur filius  
 Apollo, dū inter philosophorû scholas clarus

K 3 habe-

*ron. Annal.*  
*Tom. 1. &*  
*2. & Not. ad*  
*Martyr.*  
*Roman.*  
*vbi præter a-*  
*lias, eorum*  
*refutat opi-*  
*niones, quæ*  
*primum Pa-*  
*rifiiorû Epif-*  
*copum alium*  
*ab hoc Dio-*  
*nyso asserūt:*  
*quique eum*  
*sub Domitia-*  
*no passum*  
*existimant.*  
*In quo &*  
*Hilduinus*  
*lapsus est.*  
 9. Octob.  
*Lat. Aibe-*  
*narum.*

*Apollo Chro-*  
*nostagita.*

haberetur, & autheticas bibliothecas studiosè reuolueret, deditusq; philosophiæ, vanis superstitionibus, ritu paganorum, cõfisteretur; audiuit Apostolum noua & inaudita antea dogmata prædicantem; & idolorum cultum cæteraque gentilium superstitiones vi veritatis refutantem: cuius quidem doctrinæ cum obuiam ire non posset, relicto detestabili inanitæ deorum cultu, Apostolo manus dedit; eiusque proculutus pedibus, Christianis se sacris initiandum obtulit.

*Apollo credit in Christum Paulo do. ente.*

*Dionysius dicitur Theosophus item Areopagita. & in S. Dionysij clarissimum.*

*Dionysius proficitur in Aegyptum studiorum causa.*

*Tenebræ Christo patiente.*

His ira gestis, cum vocis nouitate Athenienses permoti, quadam die Paulum ad Areopagum duxissent, ut ibi examen suæ doctrinæ subiret, adorsus est Dionysium: qui ab opinione præstantis doctrinæ, Theosophus, & à regione urbis, qua sedulo iudicis officio fungebatur, Areopagita, genuino quasi vocabulo dicebatur: altissimo sanguine primi & magni Dionysij nõ illius Semelæ vel Deucalionis, sed eius, qui vitis inuētor apud Athenas insignis est habitus, longissima & clara propagine genitus. Hic namq; annos quinque & viginti agens, omni penè genere doctrinæ instructus, ardētī studio excitus, vna cū Apolophanio Iymmathite suo, astrologicæ disciplinæ ergo, Aegypti Heliopolim trāsmigrāuit. Vbi cū tota mēte astrologiæ studio sedulo incuberet, die illo, quo Christus Dominus pro humani generis salute ignominiosam Crucis mortem volūtariè subiit, animaduertens Solem lucis suæ radios in terræ noctis mutasse horrore, atq; orbis climata tenebrarū obtexisse caligine, signo antea inuiso & inaudito attonit⁹ exclamauit: Aut Deus naturæ pati-

tur,

tur, aut mūdi machina dissoluetur. Vndē exple-  
tis, pro quibus venerat, foeliciter redijt; arcicq;  
totius Vr̄bis, & Curiaē Areopagi praefectus,  
omnium negociorum ciuiliū vt nobilior  
nobilissimis moderamina disponebat, pri-  
musq̄ue inter primos syllogistica doctrinarū  
acumina, toga infulatus philosophica ciuibus  
ac vndique ad id studium confluentibus pro-  
fundebat.

Hunc igitur tātē eruditionis opinione cele-  
brē, Paulus interrogare cōepit, quid coleret, &  
quibus numinibus in tā spatioso & venerabili  
loco inferuaret. Cui respōdit Dionysius; Deos,  
quos coluerūt patres nostri, quorum virtute &  
solertia, mater terra cōtinetur, hos colimus &  
adoramus: Aras, quas vides, Martis & Herculis,  
Mercurij & Priapi. Dū verō Apostolus singu-  
la altaria, & falsōrum deorum simulacra, per-  
lustrasset, inter cāteras aras, vnam reperit, cui  
titulus erat, Ignoto Deo: Et conuersus ad eum  
Paulus, interrogauit illum, quisnam esset ille  
Deus incognitus. Ad quem Dionysius: Adhuc,  
inquit, non est is in deorum numerum relatus;  
sed incognitus nobis & vêturo seculo futurus.  
Tūc Apostolus diuino spiritu impulsus, illum,  
inquit, Deū, quem incognitum appellatis, ego  
praedico vobis: verū Deum & hominem natum  
ex Maria Virgine, passum sub Pontio Pilato,  
pro salute humana mortuum: vt nos à mortis  
sempiternae imperio eriperet.

Hæc & alia plura Paul<sup>o</sup> cū admirabili quadā  
circumspectiōe diuino afflatus spiritu praedi-  
cāret, templaque singula perlustrās Christum  
cōmmandaret: Dionysius radium quendam

*Pauli cum  
Dionysio  
disputatio.*

*Ara Dei ig-  
noti Athe-  
nis.*

*Paulus cecū  
illuminat.*

*Damariis vx  
or S. Diony-  
sij  
Dionysius cū  
fuit baptiza-  
tur.*

*Ordinatur  
Episcopus A-  
theniensis.  
Unde dem se in  
episcopatu  
gesserit.*

*Quam subli-  
mē eius dicta  
& scripta.*

Lucis in cordis sui penetrali excepit: eidemque Paulo libenter cedens, vberiores salutaris doctrinæ fontes sicire cœpit. Postero autem die, cum Paulus iter ageret, & quidam à natiuitate cæcus lachrymabili voce eum compellaret, Apostolus infra pietate permotus, Crucis signo in Christi nomine eius oculis impresso, repente illi lumen contulit: mandauitque, vt festinus ad Dionysium abiret, eumque ad se, ab omnibus peccatorum nexibus per salutare lauacrum soluendum, venire iuberet. Abijt ille; fecitque vt à Paulo iussus erat. At verò Dionysius vt vidit cæcum clara habentem lumina, miraculi magnitudine penè stupefactus, abnegatis paganorum erroribus, ilicò cum Damari vxore sua, omniq̃ue familia, ad Paulum contendit; sacriq̃ue baptismatis vnda respersus, totum sese in disciplinam Apostoli contradidit: à quo cælestis doctrinæ mysterijs præclare per triennium imbutus, ab eodem Atheniensem est ordinatus Antistes: quo munere sanctissimè fungens eandem ciuitatē, maximamque patriæ partem ad fidem veritatis conuertit.

In eo verò constitutus ministerio, multa tam voluminibus, quam differētibus ad diuersos epistolis, vt fluuijs mystici eloquij, edidit; & velut oraculū sancti spiritus præcipuo opere, & ore, ac philosophico magisterio ad subuertendos errores prælagiuit. In cōmendando verò cælestis patriæ beatitudinem & æternæ vitæ immortalitatem, tantus cum docendum scribendo extitit, vt cuncta, magnifica sua excellentia senius nostri exiguitatem logè excedant.

cedant. Et quidem de eius præclarissimis operibus, quod nonnulli ambigant: certum sanè est, ea ut reuera eius, cognita & accepta ab antiquioribus: Dionysio quippè Alexandrino, Athanasio: Ioan Chrysofomo, Cyrillo, Alexandri-  
*S. Dionysij opera antiquioribus cognita.*  
 no, Gregorio Magno, Martino Papa & martyre, Agathone, Adriano, & denique Nicolao primo: præter innumeros recentiores. Quod verò Eusebius ut Arianus de illis recitauerit, id dolo malo ab eo factum possumus suspicari: cum ea hæresi illi aduersentur.

Cæterùm cum Paulus Romæ Euangelij sata spargeret, Dionysius (qui à patria Ionicus, Christiano autem agnomine, propter maximam sanctitatem vocabatur Macarius, id est, beatus) nè post discessum magistri, lupi rapaces Dominicas oves inuaderent, quod institutor eius plantauerat, abundantè sollicitudine rigare contendit. Vnde vicinas & longè postas pertransiens ciuitates prædicando, & ad fidem populos conuertendo, fidelesque in verbo confirmando, atque oppressos varaculis operijs languoribus sanando, usque Troadem, Euangelij gratia, secedere non dubitauit. Vbi aliquanto tempore, non sine magno animarum fructu exacto, cum Petrum & Paulum Romæ reuocatos, & Petrum quidem ergastulo, Paulum vinculis secundo, peruulgata fama affici compersisset, Athenas rediens, subrogato sibi Episcopo plebem tradidit, & per contiguas parochias diuini uerbi spargens semina, Romam contendit: magno uidelicet Apostolorum amore, & martyrij desiderio incensus, ut simul cum eis, si ita CHRISTVS uoluisset, occumberet:

K 5 Sed

*S. Dionysius cur Ionicus & uem Macarius, dictus sit.*

*Multis locis Christum prædicat: & miracula operatur.*

*\* Is fuit Publius ut testatur Euseb. hist. Eccles. lib. 4. cap. 22. & D. Hierony. de Scriptor. Eccles. in Quadrato: qui Publio successit.*

Sed impijssimus Nero, antequã beatus Dionysius Romã perueniret, sanctos Dei Apostolos, alterũ per Crucis trophæũ, alterum aut gladio animaduersum, fœlici cruore perfuitos, & martyrij gloria dignos, ad superos transmissit.

*Venit Romã  
S. Dionysius  
ad S. Clemẽ-  
tem Papam.*

Porro Dionysius vt Romam peruenit fuit à Clemente, qui tunc sanctæ & summæ Sedis Apostolicæ gubernacula tractabat, peramanter & digno cum honore exceptus: & pro sanctitatis ac eruditionis suæ reuerẽtia, maximæ venerationis loco habitus. Fuit hoc iter Romam versus, diuino proculdubio nutu, à Dioayso susceptum, vt is Orientales tenebras, doctrinæ suæ radijs illustraret, & murum validissimum infidelitatis, qui totius Galliæ & Germaniæ terminos occupauerat, prædicationis suæ ariete destrueret: atque peritissimæ eloquẽtiæ spiculo gentilitatem perfoderet.

*Mittitur in  
Gallias S.  
Dionysius.*

Itaque Clemens mirè sibi totiq; Ecclesiæ de aduentu Dionysij congratulans, eum cum auctoritate Apostolica in Gallias destinauit; vt ibidẽ, sicut antè Athenis, optimi & strenui Euangelistæ opus faceret, suumq; ministeriũ cum certa spe æternæ retributiõis impleret. Socios quoq; illi plures & diuini verbi cooperarios, vitæ innocentia & doctrinæ præstantia probatissimos adhibuit. Igitur Põtificis Maximi benedictione munitus, socijsq; laborũ præclarè instructus, iter ingressus est, appulitq; primò portum Arelatensem: è qua ciuitate quibusdã in partes necessarias distributis, ipse, q̃a apud Gallias gentilitatis errorem præcipuè feruere cognouit, illuc intrepidus, & calore fidei incensus accessit: ac Lutetiam Parisiorum, Domi-  
no du.

no ducente, pervenit. Quam simulac' ingressus est, doctrina admirandis, miraculisq; & virtutum signis coruscans magnam populi multitudinem ab errorum tenebris ad lucem veritatis traduxit: & incredulæ gentis feritatem cōstantia fidei expugnauit.

Hicce pietatis ac fidei fundamentis fœliciter iactis, nouam mox Ecclesiam, in agro quodam à Lisbio viro nobilissimo, & recens ad Christū conuerso, iusto precio comparato, à fundamentis excitauit; ac officia deuotè Deo feruentium clericorum ex more cōstituit: cultumque diuinum, quibuscunque potuit modis, nouis adhuc aduena amplificauit. Interim cū & doctrinæ excellentia, & signorum prodigijs ingentem quotidie multitudinem è dæmonum castris eriperet; sapissimè idolorum pontifices excitata in populis seditione, eum ab ipsis interim expetebat. Sed cum armis & bellico apparatu instructi appropinquarent, tanta in eo lux cælestis gratiæ repentè radiabat, vt omni ferocitate cum armis deposita, se illi prosterneret, nimioque pauore soluti, à præsentia eius aufugerent: Miroque modo inermi viro non valebat piebs armata resistere: sed subdebat se illi potiùs certatim, & idola, quæ magnifico sumptu & studio fabricata fuerat, subuertebat: inuentoque salutis portu, & naufragio idolorum vehementer gaudebat.

Tunc hostis antiquus cernens sibi totam penè messem studio Dionysij subripi, cunctas artificij sui machinas, ad impugnanda, quæ fuerat constructa conuertit. Nam cū propter fidelium multitudinē, quod proposuerat, perficere non

*Venit Lutetiam Parisiorum, & multos ibidē conuertit: miraculis clarus.*

*Construit Ecclesiam.*

*Lux mira in Dionysio eius hostes frangit.*

*Passum esse sub Domino vult non*



*Hilduinus* non valeret, per quosdam suæ partis auctores,  
*et alij non-* Domitiano, qui post Neronem perditionis fi-  
*nulli, sed ho-* lium, secundam in Christianos exercuit perfe-  
*rum opinio-* cutionem, suggestit, vt ocyus deorum suorum  
*nem, refutat* venerationi consuleret: quæ iam etiam ab ipsa  
*Baron. An* hominum memoria per Dionysium eiusque se-  
*nal Tom. 2.* quaces abolebatur. Quæ audiens immanissima  
*Traian. Imp.* crudelitatis bellua Domitianus, in tantam in-  
*anno 10 cu-* dignationis exarsit rabiem, vt vbiunque per  
*ius postre-* se vel per suos satellites Christianum quem-  
*mo tempore* piam reperisset, aut cogeret dijs sacrificare in-  
*vel sub Ha-* cestis, aut diuersis pœnis addictum, gladio tra-  
*driano pas-* deret puniendum. Sed & per totum sibi subdi-  
*sum præbat,* tum orbem, in cunctis ciuitatibus, oppidis, mu-  
*Dira Chri-* nicipijs quoque & vicis, publicum pendit e-  
*stianorum* dictum, vt administrationis infulis seruietes,  
*persecutio,* omnes Christi nominis amatores exponere di-  
 uersitati supplicij maturarēt, nè superesse pos-  
 set, qui valeret acquirere, quod peribat.

Persecutionis ergò publicata sententia, ini-  
 quorum turba, in omnem mundi partem bac-  
 chando progreditur: & Præfectus Fescenninus  
 Sifinnius, cum ingenti strepitu, ad partes Oc-  
 cidentalium regionū, ad sanctum senē, doctri-  
 na & virtutū insignib. nominatissimum, com-  
 prendendum dirigitur. Nec mora: Furore &  
 amentia præcepit Sifinnius, vt primū Gallia-  
 rum ingressus terminos, celebre sanctissimi vi-  
 ri nomen audiuit, Parisios adijt: vbi beatum  
 Dionysium contra incredulos dimicantem, &  
 prædicatione continua populi multitudinem  
 ad fidem exhortantem, inuenit. Erant illi com-  
 ites indiuidui Rusticus Archipresbyter, &  
 Eleutherius Archidiaconus, egregij diuini ob-  
 sequij

*Sifinnius*  
*Præfectus*  
*venit Pari-*  
*sios.*

*S. Dionysius*  
*captus cum*  
*socijs suis*  
*Rustico &*  
*Eleutherio.*

sequij comministri: quos vno eodemque impetu dæmonis satellites inuaserunt, lorisque durissimis collo & manibus eorum iniectis, ad Sifinnium pertraxerunt. Is odio & ira in Christianum nomen æstuans, Tunc es, inquit, infandissimus ille senex, qui etiam deorum nostrorum culturam euacuas, & inuictissimi principis statuta contemnis? Cumque vir sanctus, socijque vno pariter ore responsum Christiana virtute dignum darent; Præfectus maiori furore inflammatus, Tantùm edicite, inquit, si magni principis Domitiani iussis obedire, & immortalium deorum iura venerari disponitis. Sin autem, non verborum, sed verberum confictatione vobiscum viriliter decertabo.

Cùm hæc agerentur, quædam inclytæ familiæ matrona nobilis, multo stipata comitatu, nomine Larcia, superuenit, compellans Præfectum, à Dionysio Ionico, agnomine Macario, virum suum Lisbium magicis artibus, mente captum, & eius transgressionibus sociatum. Qui statim adductus, iussu Præfecti capitis subiit sententiam: glorioso fine ad regna cælestia præmissus. Sancti verò martyres tortoribus traditi, & vestibus expoliati, primùm diris flagellis toto corpore cæsi sunt: indè immenso catenarum pondere onerati, in fœdum & tenebricosum ergastulum retrusi, ac postremò ad quæstiones in carastis extenti & dirissimè flagellati.

Hoc primi certaminis impetu egregia animorù virtute & constantia superato, sanctissimus antistes in oculis suorum (quò tormentorum ipsius terrore à fidei constantia resilirent) in le-

*Sifinnius  
coram Sifin-  
nio.*

*Larcia mar-  
itum suum  
Lisbium ac-  
cusat apud  
Præfectum.*

*Lisbium pro-  
prietate tra-  
cidatur.  
S. Dionysius  
cum Rustico  
& Eleuthe-  
rio dirè cru-  
ciantur.*

*Assur Dio-  
nysius.*

*Obijcitur fe-  
ris.*

in lecto ferreo, suppositis flammis nudo pland corpore extensus est. Illo autem psallente, & ignis sæuitiam vi orationis à suo corpore propulsante, tyrannus ambustum bestijs ferocissimis, in rabiem multo ieiunio excitatis, obijci mandauit. Quas impetu validissimo accurrentes vir diuinus signo Crucis ita repressit, vt Prefecto non minorem indignationem, quàm admirationem commoueret. Præparantur ergò

*Tactatur in  
clibanum.*

ingentia clibani incensia; in quæ vir Domini vexillo Crucis armatus projicitur. Cumq; extincto ad orationem eius fornacis incendio,

*In crucem  
suspenditur.*

splendidior auro eductus esset, in crucem sublatus appenditur. Ibi cum sine intermissione spectantibus, Christum Iesum, tanquàm de cælesti cathedra prædicaret: diutiùs tortus tandem deponitur, & in carcerem Glaucini, cum

*In carcerem  
cum multis  
alijs tradi-  
tur.*

Rustico & Eleutherio, aliâque fidelium multitudine, recluditur. Vbi cum post multas ad populum exhortationes qui eum sequendo carcerem irruperat, Dominica Missarum solennia celebraret, panemq; cælestè populo communicandum frangeret; eccè lux subitò tantæ claritatis in carcere respèdit, qualem nemo eorum antea vnquàm viderat: quæ eum cælesti quadam cõsolatione ad futurum certamen egregiè animauit.

*Missam in  
carcere cele-  
brat.*

Interea sacra Synaxi ritè peracta adsunt car-nifices, qui sanctissimos martyres de squalore ad vltima supplicia protraxère. Fuit tunc præ cæteris in Dionysium atrocius sæuitum: qui in se gloriosa voce confessionis penam prouocabat, ambiebatque supplicia, vt tormento crescente, cresceret simul & corona. Quapropter

*E carcere ad  
supplicia ra-  
piuntur.*

ite-

iterū toto corpore nudati, virgis in conspectu  
 omnium atrociter sunt cæsi: ac tandem ad locū  
 vltimi certaminis, è regione idoli Mercurij, *sancti mar-*  
 producti. Ibi genua ad decollationem flectere *tyres.*  
 iussi, diuinus antè omnia Dionysius, manibus  
 oculisque cum incredibili pietate ad cælum  
 sublatis, prolixè diuinæ bonitati gratias egit:  
 precesq; sanè ardètes pro salute Ecclesię fudit:  
 & sic demū cū Rustico & Eleutherio positis  
 pariter genibus, & protēsis ceruicibus, vno eo-  
 demq; momēto, hebetatis, secūdum præceptū  
 principis, securibus, capite plexi sunt. Taliq; *Obtusis secu-*  
 meruère ad Dominū professione migrare, vt *ribus marty-*  
 amputatis capitib. adhuc putaretur lingua pal- *res decollan-*  
 pitans Iesum Christum Dñm confiteri. Fuit autē *sur.*  
 eadē die cum illo, & in circuitu ciuitatis, alia *Innumeri fi-*  
 multitudo fidelū, quę per eum crediderat, pro *deles cum*  
 Christi nomine cæta: diuersiq; & antea inau- *Dionysio*  
 ditis affecta supplicijs: ad eò vt qui corpora hu- *perimūtur.*  
 mo mandarent, vix vlli superessent.

Cæterū ad declaranda sancti martyris &  
 Galliarum primi sacerdotis merita gloriosa,  
 maximus cunctos assistentes inuasit horror, &  
 lux ineffabilis cælitūs respandit: & beatissi-  
 mi Dionysij se cadauer erexit, sanctaque manu  
 truncatū à corpore caput, Angelico ductu gres- *Truncum*  
 sum regente, & luce cælesti circumfulgente, *corpore Dio-*  
 pendulis cœpit brachijs vectitare. Factaque est *nyssij erit*  
 comes multitudo cælestis exercitus, exanimi *se, & absor-*  
 corpori caput propriū per duo ferè millia de- *bat caput*  
 portant, vsq; ad locū in quo nunc Dei dispositio *suam.*  
 tione, & sua electiōe requiescit humatū. Cum-  
 que hinc indè, alternantibus quasi choris, An-  
 gelici resonarent hymni, populi innumeri,  
 canore

*Larcia nobilissima matrona credit.*

canore inestimabilis suavitatis permoti, in Dominum crediderunt. Non credentes autem, nimio terrore perculsi, qui que in suas partes fingerunt. Larcia verò viso tam stupendo miraculo in medias infidelium prosiluit turbas; seque libera voce Christianam professã, mox sanguinis sui fonte: ab idolorum immunditia expiari meruit: cuius filius Visbius, quẽ ex marito suo Lisbio susceperat, Romam ductus per tres Cæsares militavit; ac tandem sub sancto Masso, tertio à beato Dionysio Parisiorum episcopo, reuersus, omnibus quæ sunt mundi relictis, baptizatus, & religiosorum Christi qu; pauperum numero est sociatus.

*Catulla mira industria Sanctorum corpora suffuratur.*

Ceterum persecutores fidelium gentiliumque phalanges, ne Sanctorum Rustici & Eleutherij corpora, quæ adhuc in monte, vbi martyrio coronati fuerant, prostrata iacebant, populi fidelissima probataque deuotio ad patrocinium sibi profutura colligeret; inito consilio, statuerunt ea tetrìs Sequanæ profundisque gurgitibus submergere: sed Deus omnipotens iniquorum consilia dispositionis suæ arti, industria qua voluit seruire coëgit. Nam nobilis quædam mater familiã, Catulla nomine, licet paganorum adhuc erroribus, necessitate potius, quàm voluntate, addicta; mactæ tamen virtutis foemina, sanctorum corporum perditores ad coniunium inuitauit. Cumque inter oblatae humanitatis copiam mentem eorum à suscepto negotio auertisset, dedit ilicò in mandatis fidelibus suis, & familiaris voti conscijs, vt furtim sublata sanctorum corpora tollerent, ac diligenter occultarent. Qui dominæ volun-

voluntati promptè obsequentes, sacra pignora  
sexro ab Vrbe lapide, in sulcis autumnalibus  
condiderunt: quæ deindè pia matrona, adiun-  
ctis sibi Christianis inter nocturna silètia tol-  
lens, beati Dionysij corpori coniunxit; & ve-  
neratione, qua inter persecutorum rabiem po-  
tuit, deuotissimè frequentauit. Processu verò  
temporis multiplicato fideiù numero, Chri-  
stiani Basilicam magnis sumptibus cultuq; ex-  
imio super SS. Martyrum corpora construxe-  
runt: quæ innumeris miraculorum signis ad-  
modum clara, sanctorum gloriam indies cele-  
briorem reddit. Cæci siquidem visum, claudi  
gressum, surdi auditum, dæmoniacy liberatio-  
nem, & quibuscunq; infirmitatibus afflicti  
opratam ibidem adipiscuntur sanitatem. Por-  
rò locus passionis eorum, qui antea Mons Mer-  
curij, ab idolo quod præcipua superstitione  
Galli inibi colebant, dicebatur: nunc Mons  
martyrum vocatur.

Insignis Ba-  
silyca in ho-  
nore SS.  
Dionysij ac  
sociorum cõ-  
structa: mi-  
raculis cele-  
berrima.  
Mons Mar-  
tyrum: lo. 11  
passionis SS.  
Dionysij ac  
sociorũ eius.

MARTYRIVM S. DOMNINI, MAXI-  
miani Imperato: cubicularij & sociorum: Ex  
eo quod est apud V.P. Laurent. Sur.

Vide C. Ba-  
ron. Notat in  
Martyrol.  
Rom.

**C**VM a sexto Imperij sui anno Maximia-  
nus, relicta Roma, Mediolanum venis-  
set, ibidemq; iterato edicto Christia-  
nos diuersis tormetorum generibus affici præ-  
cepisset, rursus Mediolano, eodem ferè tem-  
pore, discedès, venit in fines Germaniæ, assum-  
ptis secum aliquot sui exercitus militibus.  
Qui cum aliquamdiu in finibus illis hærent,  
intellexit quosdã adesse, qui Christianam reli-

a qui fuit  
Domini 289.  
9. Octob.  
Maximianus  
venit in Ger-  
maniam.

L gio-

